



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1766**

**VD18 90118251**

§. 3. Concilium Mertonense.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

Sæcul. XIII. tantum Joanni Belliolino libertatem ob  
A.C. 1300. tenuit.

## §. III.

*Concilium Mertonense.*

20. II. Conc.  
 p. 1435.

Sub idem tempus Robertus Archiepiscopus Cantuariensis Mertonæ concilium provinciale habuit, ubi sanctiones edidit, quæ potissimum decimas contingunt, indicantque, quanta duritia eæ tunc in Anglia exigerentur. Erant pendendæ non solum decimæ naturales omnium fructuum & alimentorum, ne chortibus quidem avibus exceptis, lanarum lactariorum, sed etiam personales de rebus industria & labore partis, extendentes se ad cunctos mercatores, caupones, artifices, operarios mercede conductos: si non solverent, intentabantur eis censuræ ecclesiasticæ non nisi ab Episcopo tollendæ. Parochi ipsi, si decimam ob metum aliamve causam non postularent, excludebantur functionibus muneris, donec Archidiacono quadrantem libræ argenti dependerent.

## §. IV.

*Papa suum ad tribunal vocat Albertum Austriacum.*

Interim Papa Bonifacius civitates Italiæ pacaturus Matthæum Aquaspartanum Cardini-

Cardinalem Episcopum Portuensem in *Sæcul. XIV.*  
 Lombardia, Hetruria, & Æmilia suum *A.C. 1301.*  
 esse Legatum iussit 23 Maji, rogatu *Rayn. n. 24.*  
 Guelphorum Florentiæ: ubi Matthæus *Jo. Villani*  
 mente Junio magnis exceptus honori- *l. 8. c. 39.*  
 bus est. Verum pro munere suo con-  
 trarias partes reducere in gratiam, bo-  
 numque rursus ibi regimen instituere  
 frustra conatus, cum indignatione abiit,  
 incolas anathemate, urbem interdicto  
 affectam relinquens. Quo Romam re- *c. 42.*  
 verso Papa de consilio quorundam Flo-  
 rentinorum Carolum Valesium Regis  
 Philippi Pulchri fratrem accersere sta-  
 tuit futurum adiutorem Caroli Siciliae  
 Regis, & in Italia Vicarium Imperii:  
 nam hoc vacante id officium conferendi  
 jus sibi asserebat.

Carolo Valesio ad matrimonium in- *Ducang.*  
 eundum, ac postea reapse initum cum *hist. C. P.*  
 Catharina Curtiniacensi hærede con- *p. 205.*  
 troverfi Imperii Constantinopolitani ne-  
 cessariam legis gratiam, ac præterea  
 spem Imperii Romani Papa fecit: nec  
 enim ratam habuerat electionem Al-  
 berti Austriaci, ut patet ex epistola,  
 quam ad tres Electores ecclesiasticos  
 scripsit 13 Aprilis an. 1301. Ibi sic lo- *Rayn. 1301.*  
 quitur: Albertus Austriæ Dux Adol- *n. 2.*  
 pho Romanorum Regi adstrictiorem  
 clientis fidem ac obsequium professus, &  
 amplas ab eo terras beneficiaria lege  
 G g 3 nactus,